

ait: *Sicut ergo colliguntur zizania et igne comburuntur, sic erit in consummatione sæculi. Mittet Filius hominis angelos suos, et colligent de regno ejus omnia scandala, hoc est, homines scandalosos, qui non permittunt crescere triticum, seu proficere bonos, sed ad terram et infernum eos detrahunt. His quidem mundus plenus est. Sed videamus paucos. Tales ergo sunt primo, qui sub re divina festivis diebus sedent et bibunt in tabernis, aut obambulant in civitate et mercantur. Scandalizantur hinc non catholici tantum, sed et hæretici, qui multis in locis hæc non tolerant. Laudatur I. Macch. II. Matthathias, qui Judæum publice idolis, summo Hebræorum scandalo immolantem, trucidavit super aram, una cum eo qui immolare compulit. Eandem in cælo et Ecclesia laudem obtinebunt magistratus, qui zelo angelico scandala sustulerint. Deinde, qui diebus Veneris carnes publice vendunt, utique sequenti sabbato comedendas, ex quo offenduntur etiam qui cibos vetitos olfaciunt in platea tempore interdicto. Multum hi confunduntur a Judæis, qui ante Christum natum necari potius acerbissimis suppliciis, quam vetitas sibi carnes cum aliorum scandalo edere voluerunt, uti septem fratres et Eleazarus, qui nec fingere quidem comestionem talem voluit ad redimendam vitam, ne alios scandalizaret, II. Macch. VI. Confunduntur ab illis quadraginta rusticis, qui et ipsi gladiis Longobardorum occumbere maluerunt, quam carnes immolatitias sibi obtrusas degustare, apud S. Gregorium, lib. III. dialog. c. XXVII.*

V. Qui suis illecebris aut levitate alios ad lapsum impellunt, uti scorta publica, et leviculæ in privatis ædibus mulierculæ. Illa evellere magistratus est, has patrum et matrumfamilias. Velut enim zizania implectunt se tritico, idque exungunt; ita hæc exuunt facultatibus, corpore et anima, et ad inferos secum trahunt. Audiant magistratus quod Exod. XXI. Deus mandavit: *Si quis aperuerit cisternam, et foderit et non operuerit eam cecideritque bos aut asinus in eam, reddet dominus cisternæ præteritum jumentorum.* Quanto magis pretium animæ, si qua per ipsorum incuriam ceciderit in infernum? At vero quid sunt aliud tales mulierculæ nisi foveæ et cisternæ posite ad lapsum juvenum? Etenim *fovea profunda meretricis*, ait Sapiens, Prov. XIII. Certes si quis in civitate hinc inde foveas effoderet ad capiendos homines, magistratus id nec vellet nec posset impune relinquere. At quanto juvenum damno faciunt hoc meretrices? Patresfamilias idem in suis ædibus procurant: in quorum communitatem episcopo Thyatiræ scribit Christus per

Joannem, Apocal. II. *Habeo adversus te pauca, quia permittis mulierem Jezabel seducere servos meos, fornicari, et manducare de idolothytis.* Hoc idem sibi dictum sciant patresfamilias si talia monstra domi suæ alant.

VI. Blasphemi; hi enim ob peccati enormitatem videntur totam communitatem polluere, et reos facere, quotquot eos blasphemare audiunt, et non castigant, zelando honorem Dei. Ideo Hebræi, qui audierunt blasphemum, jubentur educere eum extra castra; et manus super caput ejus ponere, seque hoc pacto purgare quasi nequaquam ei consentientes, et mox debebat eum lapidare populus universus: ut omnes se exhiberent vindices adeoque hostes hujus tanti sceleris, Levit. XXIV. Nec in domo tales toleret paterfamilias exemplo Davidis, qui dicebat, Psal. C. *Non habitabit in medio domus meæ, qui loquitur iniqua.* Si enim extra castra educi Deus blasphemum jussit (utique ne pollueret ea) ut lapidaretur itane intra privatas aedes tolerandus erit? Reprehenduntur a Jeremia. cap. XXXVI. et graviter quidem servi Joachim regis, quod non timuerint, nec sciderint vestimenta sua, quando rex scidit et combussit librum Jeremiæ. At quanto gravius est lingua blasphema lacerare ipsum Deum?

VII. Hæretici, si turbulenti sint, sacra nostra derideant vel calumnientur, vel alios depravent. Episcopo Pergami exprobrat Deus per Joannem, Apocalyps. II. quod habeant in grege suo aliquos Nicolaitas hæreticos, qui seducunt alios, et docent fornicari, jubetque eum de hoc agere penitentiam: *Si quominus, inquit, veniam tibi cito.* Dent ergo operam magistratus et patresfamilias, ut tales vel convertant vel expellant. Nautæ omnis quidem generis homines recipiunt in naves: sed ubi unum turbulentum vident, ad littus aliquot appellant, eumque exponunt ac deferunt. Imminebat hoc periculum sancto patri nostro Ignatio Jerosolymam naviganti, licet immerito, cum quorundam navigantium flagitia graviter ferret, et magna spiritus et orationis libertate insectaretur, consilium enim ceperunt nautæ, ut illum in insula quadam deserta exponerent. Sed cum navis fere appulsa esset, subito vehementi vento repulsa est, ut mediatum facinus, perpetrare non possent, lib. I. vitæ, cap. X.

VIII. Otiosi, quia hi non solum panem aliorum laborantium gratis devorant, sed etiam ex otio plurima vitia gignunt et communitati inferunt. Hinc otiosi Romanis olim ad operas publicas condemnati, a Florentinis exturbati: hodieque a Sinensibus pelluntur. Et quia commu-

nitati nocent, dicitur Eccles. XXII. *De stercore boum lapidatus est piger.* Boves enim etsi lenti et natura pigri, laboriosi tamen sunt, quin et sterora eorum serviunt agris ad perferendas fruges; cum e contra pigri non modo reipublicæ nihil prosint, sed insuper dedecori sint. Pigri ergo digni censentur, et quasi Dei decreto ad hoc condemnati, ut omnium manibus lapidentur, et quidem luto ac sordibus: quia inutiles glebæ et sordes sunt, omnibus onerosæ simul et odiosæ.

Quando igitur vidimus, quinam in republica potissimum sint zizania, videant imprimis qui ejusmodi sunt, ut in triticum se convertant nisi in ignem abjici malint. Videant et illi, quorum officium est zizania hæc extirpare, ut in tempore hoc agant, et angelico hoc munere strenue fungantur, ne et ipsi alioquin cum zizaniis alligentur in fasciculos ad comburendum.

CONCIO V.

DIES JUDICII EXTREMI SIMILIS MESSI.

I. Mortis falce ante judicium omnes sternentur. — II. Judicio omnes subjicientur prostrati. — III. Omnia ibi patula et aperta erunt. — IV. Præscindetur omnis spes respicientiæ et gratiæ. — V. Omnes stabunt ante tribunal Christi. — VI. Separabuntur mali a bonis. — VII. Colligabuntur in fasciculos. — VIII. Arcte constringentur. — IX. Promiscue confundentur. — X. Sententiam irrevocabilem accipient. — XI. Electi stabunt in sublimi, reprobi jacebunt. — XII. Horum executores erunt angeli boni.

THEMA.

In tempore messis dicam messoribus: Colligite primum zizania. Matth. XIII.

Gentilium alter veluti Moyses Pythagora inter alia sapientiæ suæ symbola, et hoc proferebat: *Duorum maxime temporum habendam rationem, matutini et vespertini*, uti refert S. Hieronymus, lib. III. contra Rufinum. Per matutinum videtur intellexisse tempus vitæ hujus præsens, per vespertinum futurum. Video homines plerisque magnam habere rationem temporis præsentis, verbi gratia qualem habituri sint hoc anno messem, qualem vindemiam; et si adversæ tempestates ingruant, illico lamentari et conqueri, quasi actum sit de messe aut vindemia: nihil vero cogitationis suscipere de futuro. Audimus certe in hodierno evangelio loquentem Salvatorem de mirabili messe, post hanc vitam faciendâ; nemo vero de illa facile loqui auditur,

qualis ea sibi eventura sit felix an infelix; cum tamen ex hac messe omnis nostra salus, et fortuna pendeat. Quare nunc ommissa illa hujus temporis messe, omnem nostram cogitationem convertamus ad futuram illam alteram, et videamus qualis ea futura sit.

I. In messe quicquid frugum est in agris, falce demetitur, adeo ut nec una spica residua remaneat, quæ falcem effugiat. Pari modo tempore extremi judicii primo, mortis falce sternentur omnes homines, ut ne unus quidem supersit vivens, juxta id Apocal. XX. vers. XXII. *Vidi mortuos magnos et pusillos, stantes in conspectu throni*: et cap. XIV. vidit Joannes Christum judicem prodeuntem ad judicium cum falce messoria acuta, cui ab angelo acclamatum: *Mitte falcem tuam et mete, quia venit hora ut metatur: quoniam aruit messis terræ.* Arescet messis terræ, quando implebitur numerus electorum, et complebitur malitia reproborum. Falx potestas Christi judiciaria est, plena et universalis in omnes, teste D. Gregorio, lib. XXXIII. moral. cap. X. « Potestas divini judicii, inquit, quia intra se omnia incidendo complectitur, falcis appellatione designatur, in falce enim quidquid inciditur quaquaversum flectatur, intus cadit. Et quia potestas superni judicii nullatenus evitatur, (intra ipsam quippe sumus, quolibet fugere conemur) recta cum venturus judex ostenditur, falcem tenere perhibetur: quia cum potenter ad omnia obviat, incidenter circumdat. » Itaque nullus falcem istam poterit effugere, tametsi conabuntur reprobi introire in speluncas et voragine terræ, (Isa. II.) et montibus dicent: *Cadite super nos, et collibus: Operite nos*, Apoc. VI. In judiciis humanis per astum vel potentiam effugere possunt aliqui: at ibi ne quidem unus. Unde S. Hieronymus, in epistola ad Heliodorum: « Judicatur Domino lugubre mundus immugiet, et tribus ad tribus pectora ferient. Potentissimi quondam reges nudo latere palpitabunt: adducetur cum suis stultus Plato discipulis, etc. »

II. In agro demesso, jacent humi omnes spicæ, inter se commixtæ, tam altæ quam humiles, tam triticum quam zizania: ita in judicio congregabuntur omnes ad vallem Josaphat, et prosternentur ac subjicientur Christo, ut impleatur, quod apostolus ad Philippenses II. dixit: *In nomine Jesu flectatur, etc.* et illud Psalm. CIX. *Ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum*: et illud Psal. VIII. *Omnia subjecisti sub pedibus ejus*, uti exponit apostolus, I. Corinth. XV. dicens: *Oportet autem illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus ejus*, ad instar scilicet victoris, ad cujus pedes adducuntur et prosternuntur victi, præsertim rebelles et arrogantes, ut se vic-

tos agnoscant et subjectos. Sic Josue fugatos quinque reges et in spelunca latentes jussit produci et prosterni, eorumque colla a principibus sui exercitus calcari, Jos. X. Sic Carolo V. imperatori captus Joann. Frederico Saxo supplex factus honorem et majestatis imperatoriae titulum, quem prius ipsi abstulerat appellando eum non aliter, quam Carolum de Gandavo, coactus restituit, non sine exprobratione Caroli, ipsius vero confusione maxima. Pugnant hic rebelles peccatores et oppugnant Christum, nec eum pro Domino suo accipere volunt; at ibi ad hoc cogentur, cum prostrati ante eum jacebunt. Quanta erit hæc ignominia? Reges aliqui seipsos enecarunt, ne victoris sui vultum aspicere compellerentur, uti Saul et alii. At hoc ibi nemini licebit: quia, ut ait apostolus ibidem, etiam inimica mors ibi destructa erit: ita ut nemo amplius mori queat, nec per mortem effugere pœnam.

III. Demessis frugibus, omnia in agris patent latissimo undique prospectu, cum prius altitudo segetum prospectum impediret, et multa in eis laterent seu feræ, seu prædones et grassatores. Pari modo in die judicii omnia omnibus manifesta erunt; cum prius obscura essent. Quis explicare queat, quantus pudor tunc impios invasurus sit? Si enim primi parentes ad vocem Dei tam placide eos vocantis, unius tantum peccati conscii, sese absconderunt; quid agent impii tot scelerum rei ad vocem tonantis in judicio? Sanctus Chrysostomus, homilia quinta in epistola ad Romanos, ait: « Si nostrum cujusquam occultum crimen aliquod hoc ipso die in medio delatum huic modo consessui innotesceret, nonne fieret, ut ille interire ac terram sibi potius dehiscere, quam tam multos peccati sui testes habere mallet? Quid igitur nobis tum fieret miseris, cum omnia orbi universo palam facta in tam aperto, tamque illustri theatro hominum nobis partim cognitorum, partim incognitorum oculis subjicerentur.

IV. Demessa segete nulla ex eis renascuntur germina. Ita in judicii die præscindetur omnis spes resipiscentiæ et gratiæ. Quando excidunt arbores, solent repullulare germina, quæ arborem quasi restituunt uti contigit arbori illi symbolicæ, Nabuchodonosorem designanti, cujus germen radicitus in terra relictum fuit, ut regerminare posset per pœnitentiam, quod et fecit, Danielis IV. Non ita erit in judicio, quia ut habetur Apocalyps. X. Tunc angelus jurabit per viventem in sæcula sæculorum: Quia tempus non erit amplius. Et sic adimplebitur, quod ait Malachias, cap. IV. Inflamabit eos dies veniens, quæ non derelinquet eis radicem et germen, hoc est, spem re-

deundi ad priorem gloriam, opes, delicias, etc. similiter ad pœnitentiam, Dei gratiam et misericordiam consequendam, imo et remissionem vel unius pœnæ.

V. Seges demessa soli exponitur, et coram eo quasi expanditur tam triticum quam zizania. Sic in die judicii omnes stabunt ante tribunal Christi, qui erit sol justitiæ omnibus æquissimus, sine acceptione personarum quemadmodum sol oritur et splendet tam malis quam bonis. Et sic fiet, quo citato loco Malachiæ additur: *Et orietur vobis timentibus nomen meum sol justitiæ*: quia nimirum ut Psal. XCV. dicitur: *Judicabit orbem terræ in æquitate*. Sed cur ait solem hinc oriturum timentibus Deum, quasi iis solis? Quia solis ipsis afferet gaudium et gloriam, cæteris dolorem et confusionem. Sicut enim sol triticum demessum in agro nitidum candidumque reddit, zizania vero et inutiles herbas denigrat: ita justi illi a sole illo justitiæ gloriosis corporibus vestientur, impii vero squalidi et abominabiles efficiuntur. Et sicut sol aquilarum oculos delectat et vegetat, vespertilionum vero offendit et cæcat: ita aspectus Christi judicis exhilarabit justos, contristabit injustos. Præmiserat Malachias aliquorum objectionem, qui dicebant: *Vanus est, qui servit Deo*, quasi nullum discrimen foret inter bonos et malos, quoad remunerationem. Quibus respondet, ut expectent diem judicii: *Eccè enim dies veniet succensa quasi caminus, et erunt omnes superbi, et omnes facientes impietatem stipula, etc. Et orietur vobis timentibus nomen meum sol justitiæ.*

VI. Postea colligitur seges demessa, et separatur a zizaniis. Continget idem in judicio, cum: *Mittet Filius hominis angelos suos, et colligent de regno ejus omnia scandala*, (h. e. qui alios scandalizarunt) *et eos, qui faciunt iniquitatem*, uti exponit Dominus hodiernam parabolam. Et rursus infra: *Exibunt angeli, et separabunt malos de medio justorum*. Nunc quidem in oculis hominum latent zizania, ut non facile separari queant, ideoque magna ex parte sibi relinquenda sint. At ibi separabuntur ab invicem et tunc luce clarius patebunt. Difficile quidem separantur zizania a tritico, quia sese implectunt et affigunt iis tam pertinaciter, ut divelli debeant. Quanto violentius atque ægrius separabuntur mali ab electis, quando illi eveherentur ad gloriam, isti vero ad gehennam abripiuntur? Scribit Nicephorus, lib. XII. cap. XL. milites a Theodosio imp. in cædem Thessalonicensium immisos venisse in ea civium strage, ad domum divitis mercatoris, ejusque duos filios ad necem rapuisse. Parens charissima pignora ut redimeret, obtulit imprimis seipsum ad necem. Milites non

contenti uno, duos necandos esse dicebant ad implendum constitutum numerum: unum proinde e filiis eligeret, cui vitam donarent. Pater mœstissimus dum ambos respectans ambosque servare cupiens, fluctuans hæsitat, utroque spoliatur, et ambo occiduntur. Quis hic luctus, putatis, fuit patri, ita separari ab unica spe domus suæ! Ah! quid erit tandem separari a charissimis in omnem æternitatem?

VII. Alligatur in diversos fasciculos. Sic imprimis zizania seu reprobi colligabuntur in manipulos. Primo, secundum D. Augustinum, serm. XXIX. de sanctis, et D. Gregorium, lib. IX. moral. cap. XXXIX. Pares cum paribus, homicidæ cum homicidis, avari cum avaris, iracundi cum iracundis, falsi testes cum falsis testibus, fures cum furibus, ait Augustinus. Secundo, secundum Euthymium: *II, qui in eodem peccato communicant, etiam in supplicio communicaturi sunt eodem, simulque ultionem sustinebunt*: injusti judices cum suis advocatis, procuratoribus, scribis, testibus, ministris: usurarii cum uxore, liberis, famulis, confessariis, cæterisque complicitibus: superbæ et phalaratæ pupæ cum patre, qui sumptus dedit; matre, quæ instruxit; ancilla, quæ ornavit; juvene, qui aspexit; sartore, qui novum luxum excogitavit; concionatore, qui non reprehendit: scortator cum meretricibus, lenis et lenonibus, parentibus, qui non impedierunt; magistratibus, qui non puniverunt: ebriosi cum cauponibus applaudentibus, fidicinibus accinentibus, pædagogis vel parentibus conniventibus, aut etiam sumptus dantibus, parasitis, coquis: medici infideles cum chirurgis et pharmacopolis, qui nale officium administrarunt: lusores cum parentibus qui dederunt nummos; artificibus, qui recerunt aleas et chartas lusorias; sociis, qui spectarunt duellantes cum suis, ut appellant, patrinis; instigatoribus; magistratu connivente; famulis arma subministrantibus; principibus qui non impediunt ac puniunt.

Causa hujus colligationis est primo: *Ut quos similis culpa inquinat, par etiam pœna constringat*, ait Sanctus Gregorius, loco citato. Prius in vita dicebant: *Sortem mitte nobiscum, marsupium unum sit omnium nostrum, etc.* Proverbiorum I. simul ergo et in pœnis sint. Secundo, ut eo consortio acrius puniantur, qui prius in vita simul habuere sua illicita commercia, erexerunt factiones, conspirationes, fraternitates ad nocendum, potandum, fraudandum; quo impunius peccarent, magisque in rebus pessimis exultarent. Quis enim dubitet magis contundi adulterum, si præforibus Ecclesiæ ad ejus latus statuatur adultera, cum virga et candela, quam si solus in cippo

stet? Magis puniri parentes sacrilegos, si una cum ipsis comburantur eorum liberi, quam si ipsi soli? Hinc enim epulo ille rogavit, ne quinque ejus fratres in idem tormentum venirent; idemque in lingua potissimum passus est, quæ plures delectationes perceperat, Lucæ XVI. Vicissim vero electi colligabuntur velut triticum in fasciculos viventium, quod optavit Abigail Davidi, I. Regum XXV. versu XXIX. Cujusmodi fasciculi erant congregatio illa tot millium virginum, quam vidit Sanctus Joannes in cælo simul gradientium et canentium, Apoc. XIV. et illa tot militum martyrum, Apoc. VII.

VIII. Vinculis fasciculi arte constringuntur. Ita reprobi in judicio simul colligati vincientur, ut nec veniam petere, nec quidquam boni agere amplius ad se extricandos queant, quia tunc jam illa nox erit, de qua Dominus ait: *Venit nox, quando nemo potest operari*, Joann. IX. deinde, ut ex compressione magis torqueantur ac puniantur, quia et ipsi pios hic presserunt oneribus, injuriis, calumniis, vexarunt, exhauserunt: *Nihil autem amarior, quam idipsum pati, quod feceris aliis*, ait Tertullianus, lib. II. contra Marcionem. Erunt igitur sicut carbonibus carbonibus, cadavera cadaveribus juncta. Sicut Madianitæ qui oppræsserunt Hebræos, velut zizania triticum; ita plexi sunt, ut in seipsos mutua cæde debaccharentur, velut canes rabidi, Judic. VI. et VII. Quid sentient ibi fastuosi et iracundi, qui hic juxta se neminem ferre possunt, et quasi soli habitare in terra volunt?

IX. Promiscue colligantur zizania, lolium, urtica, convolvulus, et quæcumque herbæ inutiles, sive illæ floridæ et speciosæ sint sive non. Pari modo in judicio nulla habebitur ratio nobilium, divitum, ordinum et statuum, episcoporum, regum, officialium; sed cum paribus peccatoribus colligabuntur et comprimentur, quia Christus *judicabit orbem terræ in æquitate*, Ps. XCV. sicut mercatores eadem ulna metiuntur pannum sericum et laneum. Sentiant aliqui patres (S. Hieronymus, Chrysostomus, Euthymius) noctu venturum Christum ad judicium; siquidem Matt. XXV. dicitur: *Media nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit, etc.* Verum id incertum est, et locus ille commode intelligitur de insperato Christi adventu. Nox ergo verius tunc erit, quia velut in nocte non attendetur ad rationem status, dignitatis, opum et similitum; sed dicetur impiis: *Nescio vos*. Interdium discrimen inter nobiles et ignobiles, divites et pauperes facimus; honorando illos, negligendo istos: noctu non distinguimus. Sic erit in judicio. Quid agent tibi delicati, qui modo pauperes, ulcerosos, pannosos vix as-

picere dignantur, nedum juvant aut solantur, quando ibi in fasciculum foetentium cadaverum quorumcumque compingerentur.

X. Fasciculis ligatis solent plerumque messorum nodum vinculi ictu aliquo claudere et verbere addito quasi firmare. Clausula hæc in iudicio et nodus insolubilis est sententia iudicis irrevocabilis, quæ claudit, et nemo aperit. Persarum et Medorum leges adeo immutabiles esse discimus ex lib. Dan. c. IX. ut nec regibus quidem mutare eas licitum foret. Hinc cum decretum a rege fuisset, ut qui præter ipsum invocaret alium sive hominem pro re aliqua, mitteretur in lacum leonum; cumque Daniel hujus legis transgressor accusatus esset, rex licet conaretur servare Danielem, nullum tamen modo poterat, satrapis clamantibus, decretum Persarum immutabile esse. Multo minus cogitandum fore, ut Deus, qui natura sua immutabilis est, mutet aliquando quod semel statuit. Actum igitur est de solutione hujus vinculi: nec gladius Alexandri, nec gladii angelorum nodum hunc secare possunt.

XI. Colligatis eo modo fasciculis, aliqui ex illis subinde eriguntur ad solis radios, et ita erecti stant in agro: aliis humi jacentibus. Simili modo electi stabunt in iudicio erecti juxta Christum in aere: reprobi vero in valle Josaphat depressi jacebunt, neglecti, contempti, maledicti. Atque ita fiet, quod Joseph in somnio suo vidit: Putabam, inquit, nos ligare manipulos in agro, et quasi consurgere manipulum meum et stare, vestrosque manipulos circumstantes adorare manipulum meum, Gen. XXVII. Quod quidem in hoc sæculo fuisse impletum scimus ad litteram, cum Josephi fratres ipsum prostrati adorarunt, factum in Ægypto principem, sensu tamen anagogico implebitur in iudicio, cum impii cogentur venerari et quasi adorare, quos hic spreverant, odebant et vexarant electos. Tunc enim stabunt justi, ait Sapiens, Sap. V. in magna constantia adversus eos, qui se angustiaverunt, etc. reprobi vero videntes timore horribili turbantur et mirabuntur in subitatione insperatæ salutis (electorum) dicentes intra se, etc. Hi sunt quos habuimus aliquando in derisum et in similitudinem improperii, etc. Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, et inter sanctos sors illorum est. Egredierunt fratres Josephi, quod ipsum aliquando adorare deberent, ideoque mortem ei machinati sunt. Quam

ergo durum erit reprobis aspicere ibi electos, velut dominos suos revera constitutos in gloria majestate! Vidimus alibi quanto pudore Ottocarus rex Bohemiæ flexerit genua coram Rudolpho imp. olim ministro suo. Id continget ibi multis magnatibus ac regibus.

XII. Denique, messorum et horum omnium executores erunt angeli non mali (quia et ipsi iudicandi, et de novo damnandi erunt) sed boni, et, ut credibile, illi ipsi, qui custodes fuerunt. Etenim in hodierno evangelio mandatur hoc officium angelis, qui zelo honoris divini et salutis animarum eradicare volebant zizania. Gerant illi imprimis falces suas, veluti messorum; qualem unum post Christum iudicem vidit prodeuntem ad iudicium, Joan. Apoc. XIV. apud Ezech. vero, c. IX. dicitur de illis: Unusquisque vas interfectionis habet in manu sua. Hoc instrumentum, hæc falx erit ignis conflagrationis, quo absumentur non modo omnes homines, qui extremo tempore vivent, sed et mixta omnia, quia eorum nullus amplius erit usus, extinctis eorum dominis quibus serviebant. Quemadmodum enim ante oppressionem Piuris, civitatis in valle Telina factam, an. 1618. 4. sept. duo examina apum ita furiose inter se pugnarant, ut omnes utrinque mortuæ coneciderint, quasi præsensissent se non habituros deinceps possessores, ut refert Corn. in c. VI. Apoc. ita ante iudicium omnes creaturæ, quæ servierunt hominibus præter cælos et elementa, partim se invicem absument, partim igne illo absumentur. Deinde, ignem illum veluti leonem prædas expectantem immittent in damnatos, post latam sententiam, sicque eos rursus demtent e terra, et detrudent in abyssum. Terribile spectaculum super omnia terribilia, hinc terribilius, quod ii, qui ab angelis tanta olim charitate et benevolentia quasi educati, defensi, et ad omne bonum stimulati fuerunt, ab iisdem tam atroci pœna mulctandi et mactandi atque exturbandi sint.

Quare, auditores, attendamus nobis, ne zizania simus, si cum zizaniis non volumus comburi. Dum dormirent homines, creverunt zizania qui si vigilassent, zizania inimicus homo non superseminasset. Vigilemus itaque, quod toties monet in evangelio Dominus: Quod vobis dico omnibus dico: Vigilate.

DOMINICA SEXTA POST EPIPHANIAM.

EVANGELIUM. MATTH., XIII.

In illo tempore, dixit Jesus turbis parabolam hanc: Simile est regnum cælorum grano sinapis, quod accipiens homo seminavit in agro suo; quod minimum quidem est omnibus seminibus: cum autem creverit, majus est omnibus oleribus, et fit arbor, ita ut volucres cæli veniant, et habitent in ramis ejus. Aliam parabolam locutus est eis: Simile est regnum cælorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ satis tribus, donec fermentatum est totum. Hæc omnia locutus est Jesus in parabolis ad turbas, et sine parabolis non loquebatur eis, ut impleretur, quod dictum erat per prophetam dicentem: Aperiam in parabolis os meum, eructabo abscondita a constitutione mundi.

CONCIONES.

- I. Militans Ecclesia cur vocetur regnum cælorum.
- II. Incrementa Ecclesiæ.
- III. Regnum Christi quantum alia regna superet.
- IV. Quibus modis ac mediis fides propagata sit.
- V. Causæ propagationis hæresum nostri temporis.
- VI. Multiplex verbi Dei auditus fructus et non auditus damnum.
- VII. Documenta.
- VIII. Mystera.

CONCIONES AUCTARII.

- I. Verbum Dei simile grano sinapis.
- II. Aliquot sinapi temperandi convivis et aliis mundi gaudiis.
- III. Via ad regnum, unde amaritudine repleta.
- IV. Cur per aspera et amara eundem sit ad cælum.
- V. Conjugum officia inter se mutua.

CONCIO I.

MILITANS ECCLESIA CUR VOCETUR REGNUM COELORUM. Quia Regem cælestem habet. — II. Quia similis cælo. — III. Quia de cælo descendit. — IV. Quia ad cælum tendit. — V. Quia in eo regnant Christiani velut in cælo. — VI. Quia in terra cælestem vitam æmulatur.

THEMA

Simile est regnum cælorum grano sinapis.
Matth. XIII.

Genesis cap. II. legimus Adamo hanc a Deo potestatem factam, ut pro indita sibi sapientia omnibus animalibus, quæ sunt super terram, nomina imponeret: Et quod vocavit Adam, ipsum est nomen ejus, ait sacer textus. Cæterum ut Adam primus rebus naturalibus, ita secundus Adam noster Christus rebus, quæ supra naturam sunt,

sua indidit nomina pro sua sapientia et potestate. Quare quod ipse vocavit, ipsum debet esse nomen ejus. Porro in hodierno evangelio Ecclesiam militantem vocat Christus manifeste regnum cælorum: Simile est regnum cælorum grano sinapis. Ita eandem appellavit in dominica quinta post epiphaniam proxime elapsa: ita eum rursus appellat in dominica septuagesimæ mox sequente. Hoc igitur est et esse debet verum et genuinum Ecclesiæ nomen, quod Christus ei dedit. Videtur mihi Isaias hoc idem prædixisse, cap. LXII. ad Ecclesiam loquens: Vocabitur tibi nomen novum, quod os Domini nominavit. Et quodnam illud? Sequitur mox: Et eris corona gloriæ in manu Domini et diadema regni in manu Dei tui, q. d. evehet te ad dignitatem coronæ et regni sui, quo coronatur in cælis, et ita faciet ac vocabit te regnum cælorum. Magna dignitas Ecclesiæ et gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei. Quam vero